

piscem pro sua magnitudine, plus sanguinis habere dicunt, quam caeteri pisces, ideoque minus frigidi temperamenti esse probabile videri. *Ventriculum* mediocrem habet; *Hepar* subrubrum, cui subnigra *fellis vesica* haeret, et *intestina* admodum pinguia, *splenem* magnum. Crebro quinque et sex librarum pondere reperitur, aliquando etiam viginti: Jovio vero teste in Lario lacu ducentarum quoque, Maximum enim ajunt, qui in eo nascuntur piscium. De loco non convenit inter authores. Plinius marinum facit, Oppianus littoralem. Aristoteles inter fluviatiles reposuit, Aelianus in Danubio quoque capi scripsit. Dorian inter fluviatiles et Lacustres collocat. In Lario lacu admirandae magnitudinis capi, Jovius author est. Larius, inquit, lacus, ob longitudinem a Virgilio maximus nuncupatus, pisces longe omnium maximos gignit. *Troctas* (*Trutas*) centum aliquando librarum pondere, et Bulbaros ducentarum; Sed Bulbari illi ingentes videri potius liquidis ac perspicuis in undis quam capi retibus possunt, cum ea potenti impetu plerumque dilacerent. Subeunt solstitii diebus umbras specus in rupibus Licinianis, quae sunt in adversa Larii ripa contra Insulam, Euripumque illum gemmum a Coecilio Plinio celebratum. Eos industrius quidam facydos sagittis arcubalista emissis, cum in profundo quiescentes fuscinis atque tridentibus attingi non possent, vulnerare conabatur, neque tamen sagittae longo alligato funiculo, nisi aversi officiebant, cum illa squammarum serie thoracati earum ictus facile repellerent. In lacubus Allobrogum maximi quoque proveniunt. Alicubi in piscinis et variis includuntur, alicubi in paludes et stagna conjiciuntur, in quibus plurimum proficiunt. Ut vero scribit Albertus: Hic pisces in aliquibus aquis generat, et in aliquibus grassatur et crescit, sed optime valet in fundo argilloso, tritico primo seminato, et postea argilla desuper sparsa, et post-

ea aqua superfusa. De partu et quae circa ipsum eveniunt, isthaec fere Aristoteles prodidit. Cyprini etc. vide Scaliger. Sponte etiam *nasci* et Rondeletius et experientia comprobant. Vidi inquit ille, in aquis, in cava loca et montibus septa receptis, et collectis sponte generatos Cyprinos, in quae loca nec rivus, nec stagnum, nec palus, nec lacus, nec fluvius ullus, nulla denique aqua praeter coelestem influxisset. Foeminam *lac ore* fuscipere, inde futura ova concipere falsum est. Herbis, luto, muro, et aliis *vescitur*. Athenaeus carnivorum dixit. Astu plurimum valere, et ut reti capiendus evadat, varia machinari Albertus atque author de natura rerum tradunt: primum enim circumeuntem, foramen quaerere: hoc non reperto transilire conati, vibrato in aërem corpore: aliquando sub reti, suffodiendo sc. in fundo, effugium quaerere: alias herbam aliquam ore tenere, atque ita retinere sese, ne trahatur a reti: alias caput fundo ingerere, haud ignarum, rete, dum nisi caudam tangit, elidi. Refert Gesnerus se cognovisse ex homine fide digno, in Palatini regione Germaniae, in loco cui nomen a Michaële et campo vel agro, in fossa circa arcem Carpam esse, quæ centesimum viata annum attigerit, unde longaevum piscem esse conjicere possumus. *Carnes* sunt in universum molliore, nec tamen ita insalubres, quod humiditas non sit viscosa, præsertim eorum, qui in rapidis et puris aquis nascuntur. Martio in primis commendantur. Major et Junio, quod genitaram vel emitat vel recens emiserit, non item. Mafœminæ præstat, majusculus minori. Caput a ganeonibus expeditur, propter linguam forte, quæ si affetur, prædulcis est, et bene cum succo citri apparatur. Ex ovis Caviarium rubrum apparatur, quod Judaeis dicatum est. Medicinam si spectes, lingua vim augendæ Veneris habet. Lapillus de capite, crudo pisce extractus, febricitantium aestum sedat, et sanguinis enaribus fluxum cohibet.

CAPVT VII.

De Cyprinis Monstrofis.

TAB. XXVII. IO. Miram hanc pisces speciem Lugduni in foro piscatorio vivam aliquando venditam, nullus fuit (inquit Rondeletius) qui non demptis *Aldrovand. de Pisibus l. 5. c. 41.*